

habent propriam subsistentiam nisi in toto, recipiunt autem subsistentiam, si a toto separantur, amittunt iterum, si virtute caloris vel chimica actione iterum coniunctae *unum per se naturalé* constituunt. Ergo est distinctio virtualis perfecta inter naturam eiusque subsistentiam.

II. Non liquet, realem distinctionem esse admittendam.

Prob. 1. Non satis intelligi videtur, quid sit illa realitas, sive modus substantialis, sive existentia naturae reali completae superaddita. Neque enim potest esse accidens, quia substantia ultime in ratione *substantiae* nequit constitui per accidens, quod substantiam iam supponit completam; neque potest esse substantia: non completa, quia non fieret *ens per se unum* ex duobus entibus in actu; non incompleta, quia esset pars essentiae, quae tamen supponitur completa. Nihil autem est intermedium inter substantiam et accidens.

(Neque videntur satisfacere dicentes, subsistentiam posse dici accidens ratione essentiae, non vero tanquam ultimum complimentum substantiae¹⁾, unde aliquid intermedii esset inter substantiam et accidens; nam haec distinctio videtur supponere sententiam illam iam *probatam*; et in *concreto* substantia rei idem est quod eius essentia; in thesi autem agitur de natura concreta, physica. — Neque melius videtur opponi, subsistentiam sive existentiam in nulla esse categoria, sed omnes transcendere; posse autem reduci ad categoriam substantiae.²⁾ Nam 1^o hoc novum ens transcendens videtur arbitrarié statui; 2^o si vero ad categoriam substantiae reduci potest, debet habere rationem substantiae, sicut pars corporis e. g. manus. 3^o Natura humana in Christo, quum habeat existentiam quamvis creatam, attamen sibi *intrinsicam*, iam deberet esse persona, si personalitas consisteret in eius existentia.

2. Entia non sunt multiplicanda sine necessitate. *Atqui* necessitas illius distinctionis realis nondum videtur probata. *Ergo* . . .

Prob. minor: Dicunt: 1^o Natura singularis subsistentiam et incommunicabilitatem nondum includit; ergo debent accedere; dist.: debent accedere in conceptu — conc.; in re, subd.: aut positive aut negative — conc.; solum positive — nego.

2^o Atqui debent in re et positive accedere, quia subsistentia naturae aliquid positivi addit sc. complementum et terminum substantiae completae (sic Stöckl); dist.: addit aliquid positivi substantiae naturaliter existenti — nego; supernaturaliter; subd.: ratione personae assumptis — conc.; ratione naturae assumptae — nego.

3^o Atqui tunc natura humana in Christo esset persona; dist.: si esset sibi relicta — conc.; quum sit assumpta a persona Verbi, subd.: non est persona propter defectum positivum — nego; propter elevationem ad modum existendi infinite perfectiorem — conc.

„Naturae assumptae non deest propria personalitas propter defectum alicuius, quod ad perfectionem humanae naturae pertineat, sed propter ad-

¹⁾ Cfr. Liberatore, Inst. phil.⁶, I. p. 318. ²⁾ De Maria, l. c. p. 454.

ditionem alicuius . . . quod est unio ad divinam personam.“ (S. Thom. S. Th. III, qu. 4, art. 2 ad 2 et 3; cfr. etiam ibid. qu. 2, art. 2 et 3.)

Retorqueo: Si subsistentia esset aliqua realitas, quae proinde in Christo humanae naturae deficeret, numquid igitur Christus non perfectus est homo?

4^o Atqui si natura humana completa est ex se ad subsistendum, non posset fieri in Christo *unum per se* ex duobus in actu¹⁾; dist.: unum per se in ratione naturae, sicut Eutychiani docebant — conc., ratione hypostasis; subd.: si natura humana eiusque unio hypostatica cum Verbo divino fieret per duplicem actionem: unam constituentem naturam humanam completam per se existentem, alteram hanc naturam completam in se existentem Verbo divino unientem, sicut Nestoriani statuebant — conc.; quum illa unio fiat eadem actione divina quoad terminum (creatio humanae naturae Christi et unio cum Verbo divino), *ratione* tamen distincta — nego.²⁾

5^o Atqui nisi subsistentia quidquam adderet ad naturam, in Deo non esset nisi una persona; dist.: nisi quid absoluti adderet — nego; nisi quid relativi; subd.: quod *realiter* distinguitur a divina natura — nego; quod virtualiter solum differt a natura divina, sed personas divinas *realiter inter se* distinguit — conc.

Resp. a) Retorqueo: Subsistentia in sententia opposita consistit formaliter in realitate naturae superaddita. Atqui nihil realitatis potest naturae divinae superaddi. Ergo vel nulla esset persona in divina natura vel ad summum una.

b) Unde paritas est neganda. Persona enim humana, si per realitatem naturae completae superadditam constituenda esset, deberet esse aliquid absolutum, quo in se constituitur et ab omnibus aliis distinguitur. In Deo autem Personae divinae constituuntur relationibus, quibus Personae divinae realiter inter se differunt, quae tamen relationes a divina Essentia non realiter sunt distinctae.³⁾ — Ceterum tota haec quaestio, quemadmodum illa de distinctione inter essentiam et existentiam, non mihi videtur esse magni momenti.)

Caput II: De accidentibus.

§ 1. De accidente in genere.

(1. *Notio:* Experientia docet, in mutationibus aliquid permanere tanquam subiectum, in quo fiat mutatio, aliud vero recedere vel accedere, quo subiectum illud ad novum statum sive modum se habendi determinetur, quin essentia eius ipsa mutetur. Hoc modo formamus conceptum substantiae et accidentis; substantia, ut diximus, vocatur subiectum, in quo fit mutatio; accidens vero appellamus ipsam subiecti mutationem, e. g. calorem, quo corpus frigidum fit calidum. Conceptus accidentis, quum sit primitivus, sicut con-

¹⁾ Cfr. Lugo apud Schiffini, l. c. p. 570. ²⁾ Cfr. Schiffini l. c. p. 631 n. 590. ³⁾ Cfr. Einig, De Deo², p. 182 sq. — Plura de hac quaestione vide Liberatore l. c. et Schiffini, l. c.

ceptus substantiae, non potest per alios definiri, sed ad summum explicari.

Concipitur igitur accidens primum tanquam realitas aliqua substantiae superaddita, quae possit adesse et abesse, salvâ rei substantiâ. Attamen hic conceptus primitivus est adhuc imperfectus, quemadmodum etiam conceptus primitivus substantiae tanquam subiecti accidentium. Sunt enim accidentia, sine quibus substantia esse nequit e. g. anima nostra sine *facultate* intelligendi, volendi, sentiendi etc. Deinde saltem mentis consideratione accidentia i. e. quaedam substantiae determinationes possunt concipi cum fundamento in re, quae non realitatem a substantia distinctam constituunt e. g. libertas voluntatis. Si igitur mentis reflexione conceptus ille primitivus accidentis perficitur ommittendo ea, quae non necessaria sunt, non restat nisi eius elementum formale, quod in omni genere accidentium invenitur i. e. *esse in alio*.)

Accidens igitur vocatur *ens in alio* (ὄντος ὄν)¹⁾. Iam vero potest ens aliquod in alio multis modis inesse: a) prorsus extrinsecus, sicut contentum in continente, e. g. pecunia in scrinio; b) intrinsecus, sicut pars in toto; c) intentionaliter, sicut obiectum cognitum in cognoscente; d) virtualiter, sicut effectus est in causa. Non hoc modo dicitur accidens esse ens in alio; sed modo aliquo proprio, sc. sicut in *subiecto inhaesionis*.

2. *Proprietates accidentis*: Tria in accidente distingui possunt: a) *Inhaesio* in subiecto; supponit igitur subiectum in entitate sua perfecte iam constitutum, ac per hoc differt a parte, quae cum aliis constituit subiectum accidentis. b) *Determinatio* subiecti; accidens enim subiecto confert novum modum existendi, non quidem essentialem vel substantialem, sed esse „tale“ e. g. esse calidum, album, magnum etc. (Haec vero determinatio, sicut etiam inhaesio, potest esse *immediata*, si accidens ipsam substantiam afficit, e. g. quantitas; *mediata*, si aliud accidens iterum determinat, sicut figura extensionem.) c) *Dependentia* a subiecto; accidens enim naturaliter existere non potest sine subiecto sibi connaturali. Dico *naturaliter*: nam Deus omnipotens potest modo supernaturali supplere influxum subiecti accidens sustentantis. (Ex hoc vero non sequitur, accidens nihil realitatis in se continere, vel formaliter consistere in aliqua relatione. Habet enim realitatem in se, licet imperfectam, quae ex natura sua requirit, ut sit in subiecto. Unde ad rationem accidentis formalem non pertinet, ut *actu* inhaereat et dependeat a subiecto, sed, sicut „substantia est res, cuius naturae debetur esse non in alio, accidens est res, cuius naturae debetur esse in alio.“²⁾ Essentia igitur accidentis in eo est, ut *erigat esse in subiecto*.

¹⁾ Arist. Metaph. I. VIII, c. 8; Categ. c. 2. ²⁾ S. Thom. Quodlibet 9, a. 5, ad 2.

3. *Divisio*: Accidens distinguitur: a) *Ratione extensionis*: *transcendentale*, quod omnes categorias accidentis afficere potest, e. g. certus modus accidentis quoad inhaerentiam; unum, verum, bonum etc., certa intensio coloris, lucis, caloris etc.; *praedicamentale*, quod dividitur in novem categorias, et constituit praedicata accidentalia; *praedicabile*, quod illa solum accidentia significat, quae possunt adesse et abesse salva rei essentia; praedicamentale vero, quod et metaphysicum vocatur, exhibet etiam illa accidentia, quae essentiam necessario sequuntur.

b) *Ratione perfectionis*: *metaphysicum* (sensu speciali), quod sola ratione, non realiter a substantia sive ab accidente alio reali distingui potest, e. g. modus unionis inter corpus et animam, inter figuram et extensionem, certus gradus quantitatis, certa intensio qualitatis; *immortalitas* animae, libertas voluntatis etc.; *physicum*, quod realiter a substantia distinguitur, et vocatur *absolutum*, si separabilitas est mutua, e. g. corpus et extensio; *modale*, si separabilitas non est mutua, e. g. extensio et figura; motus in corpore moto.

c) *Ratione modi*, quo substantiam afficiunt: *accidentia interna*, quae substantiam perficiunt realitate aliqua; *externa*, quae nullam afferunt realitatem, sed respectum ad res externas sine ulla subiecti mutatione constituunt, e. g. esse alicubi, esse laudatum, cognitum etc.

4. *Relatio inter substantiam et accidens*: a) Sicut accidens non est nisi in subiecto, ita neque *fit* nisi in subiecto, i. e. non fit per se, sed educitur quasi ex potentia subiecti, ac proinde non est productio ex nihilo sui et subiecti, sicut creatio. Non igitur est id quod est, sed *quo* est substantia, non in esse constitutivo, sed in esse tali; neque accidens de subiecto in subiectum transire potest, e. g. motus.¹⁾

b) Substantia accidentibus *prior* est in ordine ontologico: *ratione*, quia accidens concipitur per substantiam; *natura*, quia accidens dependet a substantia; saepe etiam *tempore*, quando accidens producit a substantia. Non autem est prior in ordine logico *nostro* i. e. in *cognitione pro nobis*, quia per se primo accidentia cognoscimus in sensatione.

c) Substantia est *causa* accidentium idque diversis modis; potest enim dici *causa materialis*, quia recipit accidens et sustentat, e. g. marmor figuram; *causa finalis*, quia accidens ordinatur ad substantiam determinandam; saepe est etiam *causa efficiens*, producendo accidens, e. g. actus intellectus; alia vero accidentia *emanant* ex substantia, ut potentiae et vires naturales, ad instar ramorum in arbore permanentium, non sicut folia et fructus, qui ab arbore separantur. (Cfr. supra p. 436.)

¹⁾ S. Thom. S. Th. III, q. 77, a. 1.

d) *Unio substantiae cum accidente* saltem physico non est mere externa (mechanice), ita ut forment unum per accidens; sed est interna et naturalis, et per se est perfectior, quam unio hypostatica. Substantia igitur format cum accidentibus suis, praesertim si sunt propria, unum accidentale quidem, sed reale per se, ita ut accidentia de ipsa substantia etiam praedicentur, non quidem abstracte et in recto, sed concrete et in obliquo, quia substantiam informant et in novo esse, licet accidentali, constituunt; e. g. homo est magnus¹⁾

Thesis XXVIII: In rebus creatis existunt praeter substantias etiam accidentia, a substantia realiter distincta.

(*St. qu.* 1^o In hac thesi non contendimus, omnia accidentia a substantia esse realiter distincta et ab ipsa separari posse; sed affirmamus esse quaedam accidentia, saltem physica absoluta, realiter a suo subiecto distincta. Thesis non agit nisi de rebus creatis, quia in Deo non possunt esse accidentia.

2^o Adversarii sunt veteres atomistae, ducibus Democrito, Epicuro, Lucretio, praeter atomos substantiales quidquam reale esse negantes; quorum sententiam postea Cartesius, Gassendi, Herbart modernique materialistae et atomistae restaurabant, nihil nisi relationes mere extrinsecas admittentes, quibus corporum mutationes efficerentur.

Prob. 1. Ex cognitione substantiae: Constat esse substantias. *Atqui* non possemus cognoscere substantias esse, nisi accidentia admitteremus; nam a) omnis cognitio nostra primum oritur ex sensatione, et sensatio non percipit rationem substantiae, sed eius phaenomena sensibilia, i. e. accidentia; b) non est nobis intuitio intellectualis substantiae, ut experientia et natura cognitionis nostrae docent, ac proinde substantiam non possumus in se percipere, sed in suis phaenomenis et effectibus; phaenomena vero et effectus substantiae sunt eius accidentia, vel ea manifestant. *Ergo* existunt accidentia.)

2. *Ex experientia externa:* Constat, esse in rerum natura mutationes reales, et distinguimus inter mutationes substantiales et accidentales. *Atqui* a) haec distinctio non haberet sensum, nisi praeter substantias essent etiam accidentia realia ab illis distincta; (b) in mutationibus etiam accidentalibus: 1^o certe aliquid fit; nam status rei tum externus tum internus mutatur, e. g. corpus calore affectum; ferrum ignitum; globus magna vi proiectus. 2^o Quod fit, non est merus respectus vel pura relatio; nam corpus ipsum mutatum recipit in se effectum causae externae, qui effectus causae physicae non potest esse physice nihil; deinde corpus ipsum mutatione con-

¹⁾ Cfr. Kleutgen, Philos. d. Vorz., n. 617—640.

stituitur principium operationis, recipit aliquam novam perfectionem et virtutem, e. g. pulvis explodens; ferrum ignitum ardens et lucens; 3^o quod fit, non est ipsa substantia aut eius pars, neque est substantialis mutatio, nam substantia erat ante mutationem et remanet post mutationem eadem; mutatio vero accedit et recedit permanente subiecto suo.) *Ergo* non restat, nisi ut in omni mutatione accidentali admittatur accidens reale, distinctum a substantia.

3. *Ex experientia interna:* Conscientia nostra testatur, in nobis esse actus sensationis, cognitionis, appetitus, qui nunc adveniunt, nunc recedunt, principio ipso permanente; deinde testatur, illos actus aliquid reale esse, quum sensatio moveat intellectum, cognitio voluntatem, voluntas membra, e. g. ad ambulandum; mox gaudium, mox dolorem in nobis excitant, nos perficiunt scientia et virtute. Porro testatur eadem conscientia, illos actus non esse animae substantiam, neque eius partem, quum anima seu eorum principium idem permaneat, actibus illis elapsis; immo testatur, actus illos effici et produci ab ipso illo principio interno illudque afficere et perficere et aliquo modo, sed *habitualiter*, in eo permanere, ut possint esse obiectum memoriae. *Atqui* si nulla esset realis distinctio inter actus nostros immanentes eorumque principium substantiale, dicendum esset, idem (substantiam animae) simul permanere et non permanere (actus transeuntes), idem simul esse causam et effectum, subiectum eiusque determinationem, substantiam et actum; substantiam ipsam mutari sicut accidentia, quae omnia inter se sunt opposita, et contradicunt tum rationi, tum conscientiae, tum hominum persuasioni. *Ergo* sunt accidentia realiter a substantia distincta.

4. *Ex conceptu actionis:* Omni actione reali physica debet aliquid reale et physicum fieri; actio enim non potest terminari in nihilo physico. *Atqui* si nullum accidens est realiter distinctum a substantia, omnis actio physica deberet aut ipsam substantiam producere aut nihil efficere, quod utrumque repugnat: *primum*, quia esset creatio, quae nulli creaturae competit; *alterum*, quia nulla actio in nihil terminari potest. *Ergo* omnis actio positiva etiam accidens reale producit distinctum a substantia.

5. *Ex absurdis:* Si nullum accidens reale esset, sequeretur: a) in omni mutatione, si quidem aliquid fit, substantias ipsas mutari et alias fieri, ac proinde nulla esset sive rerum identitas sive identitas conscientiae; b) homo amittens habitum scientiae vel virtutis amitteret suam substantiam, saltem ex parte, vel acquireret novam substantiam per scientiam et virtutem; c) gratia tum actualis, tum habitualis esset ipsa substantia animae, quae proinde supernaturalis evaderet, quod est absurdum; d) nullo modo intelligeretur, quomodo Deus animae infunderet gratiam, nisi esset accidens ab anima rea-

liter distinctum. Ergo sunt accidentia realiter a substantia distincta, atque iure meritoque S. Thomas videtur affirmare: „Nullus unquam opinatur, nisi *insanus*, quod habitus et actus animae sint ipsa eius essentia.“¹⁾

Obi. 1. Conceptus accidentis necessario includit substantiam; ergo non sunt realiter distincta; dist.: includit substantiam tanquam elementum constitutivum — nego; tanquam terminum relationis et subiectum inhaesionis — conc.

2. Atqui substantiae et accidentis realitas est eadem, quia accidens non habet esse in se; dist.: absolutum — conc.; relativum, subd.: praedicamentale, i. e. accidens non est mera relatio — conc.; transcendentalis — nego; nam licet referatur ad substantiam, habet tamen esse aliquod in se.

3. Atqui nullum esse habet in se; secus ens non analogice de substantia et accidente praedicaretur, dist.: et haec analogia est intrinseca attributionis — conc.; est mere extrinseca — nego.

4. Atqui si esset realis distinctio, praedicata accidentis non possent per identitatem tribui substantiae, dist.: abstracte et in recto — conc.; concrete et in obliquo — nego.

5. Atqui sufficere videtur distinctio virtualis; nam entia non sunt multiplicanda sine necessitate, dist.: sufficit quoad accidentia metaphysica — conc.; quoad physica — nego.

Retorqueo: Eodem iure posset dici: Sufficit una substantia; ad quid igitur tot substantiae? Sufficit divina operatio; ad quid igitur activitas creaturarum?

6. Atqui saltem accidentia modalia non sunt realiter distincta a substantia, dist.: transcendentalia et metaphysica — conc.; physica, subd.: non est *mutua* separabilitas — conc.; nulla omnino est — nego.²⁾

Thesis XXIX: Non repugnat, accidens reale sine subiecto existere.

St. qu. 1^o In hac thesi non agitur de quocunque accidente, sed solum de physicis absolutis, quae substantiae realitatem aliquam superaddunt et ab ipsa separari possunt.

2^o Non intendimus positive probare, sed negative, i. e. ostendere, nullam in eo esse repugnantiam, quod accidens absolutum sine subiecto existat; neque contendimus, hoc posse fieri modo naturali, sed saltem divina omnipotentia.

Prob. Repugnantia esset aut ex defectu realitatis in accidente, ita ut non posset sine subiecto existere, aut ex exigentia inhaesionis in subiecto. Atqui a) ostendimus in thesi priore, accidens absolutum realiter distinctum esse a substantia ac proinde habere realitatem

¹⁾ Quodl. De spirit. creat. a. 11 ad l. ²⁾ Cfr. Gutberlet, Metaph. 1900², p. 65. Schiffini, l. c. p. 552, licet non reprobet accidentia modalia, a Suarezio demum introducta, necessaria tamen non habet, neque modum loquendi veterum in hac re deserendum esse putat.

propriam¹⁾; b) accidens habet quidem exigentiam naturalem existendi in subiecto; sed haec exigentia non requirit *actualement* inhaesionem; neque semper requirit *subiectum sibi connaturale*; nam ut bene notat S. Thomas²⁾: „Quum effectus magis pendeat a causa prima, quam a secunda, Deus, qui est prima causa substantiae et accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest in esse accidens, subtracta substantia, per quam conservabatur in esse sicut per propriam causam, sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis.“³⁾ Ergo non repugnat, accidens reale per divinam virtutem existere sine subiecto.

Obi. 1. Tunc accidens fieret substantia; dist.: si sua virtute existeret — conc.; cum retineat exigentiam existendi in alio, subd.: quin tamen huic exigentiae ullo modo suppleatur — nego; ita ut a Deo defectus subiecti suppleatur — conc.

2. Atqui repugnat existentia accidentis sine subiecto, e. g. actus intellectus, voluntatis; dist.: repugnat in multis vel propter defectum realitatis vel specialem aliquam rationem — conc.; in omnibus — nego. Certe figura non potest esse sine quantitate extensa propter defectum realitatis; actus cognitionis non potest sine subiecto suo connaturali, i. e. sine intellectu existere, non propter defectum realitatis, sed propter specialem rationem immantiae, quae inest omnibus actibus *vitalibus*.

3. Atqui tunc posset esse deceptio universalis et quodcumque accidens cum quacunque substantia coniungi, dist.: naturaliter et ordinarie — nego; supernaturaliter, subd.: potentia Dei absoluta — trans.; potentia Dei et sapientia et bonitate simul considerata, iterum dist.: quin ullo modo hic status extraordinarius nobis significaretur — nego; ita ut miraculum significaretur — conc.⁴⁾; e. g. praesentia Christi sub speciebus panis et vini certo revelata et signis evidentibus e. g. lumine fidelibus in ecclesiis manifestata.)

§ 2. De accidentibus in specie.

I. De qualitate.

(I. *Notio et natura:* Constat, omnes res existentes in hoc mundo, i. e. res finitas, licet ratione essentiae sint completae, nondum tamen ex se esse perfectas quoad accidentia, sed plus minus perfectionis vel recipere vel etiam amittere posse, e. g. homo discens scientias; corpus plus minus calore affectum. Iam vero haec perfectio potest sequi vel rationem materiae, quae in rebus sensibilibus inest, et tunc

¹⁾ Cfr. S. Augustinum de Trinit. l. 6, c. 6. Aristot., metaph. VII, c. 3: „Nam passiones corporum et effectiones et potentiae sunt, longitudo vero latitudo et profunditas quantitates quaedam, sed non substantiae sunt. Quantitas enim non est substantia, sed magis cui haec ipsa primo insunt, illud est substantia.“

²⁾ S. Theol. III, qu. 77, a. 1. ³⁾ Huic sententiae plene consentit Leibnitzius in opere: Systema theol. n. 48 et 49. ⁴⁾ Cfr. Gutberlet, l. c. 57.

vocatur *quantitas*; vel sequitur formam, i. e. principium rebus intrinsecum, quo quaeque res in specie constituitur; haec igitur rei accidentaliter perfectio vocatur *qualitas*, et est omnium accidentium potissimum et maxime perfectum. Hoc igitur loco primum qualitatis rationem inquirimus, de ratione quantitatis in cosmologia dicturi.

Qualitas secundum Albertum Magnum¹⁾ est „*accidens complens ac perficiens substantiam tam in existendo (essendo) quam in operando*“; sive secundum S. Thomam²⁾ „est determinatio subiecti ad aliquod esse accidentale secundum debitam mensuram“, quae quidem mensura significat rei formam, quae est principium omnium quae in re sunt perfectionum. Est conceptus primitivus, quia qualitas sensibilis est primum obiectum, quod una cum quantitate percipimus, unde vix per alios conceptus explicari potest, neque explicatione indiget. (Qualitas igitur dicitur: a) *accidens*, ut distinguatur a differentia specifica, quae in „quale quid“ praedicatur et substantiam significare potest; b) dicitur *complere et perficere* substantiam, et sic differt ab omni parte rei essentiali sive modo substantiali, quia supponit substantiam completam in ratione essentiae, unde pertinet vel ad eius integritatem, ut sanitas ad corpus, vel intellectus, voluntas ad animam; vel solum superadditur ad naturae perfectionem, e. g. scientia; c) dicitur *complere et perficere tum in essendo, tum in operando*, ut distinguatur et ab accidentibus mere externis, relativis, quae subiecto suo non interna sunt; et a quantitate, quae perficit quidem subiectum suum in essendo, sed solum quoad partes materiales, eas inter se et ad extra disponens, neque in operando sicut qualitas, quae partes subiecti quasi *virtuales* disponit. — Est autem advertendum, etiam qualitati oppositum, e. g. vitium, errorem, infirmitatem hac voce comprehendere, unde bona et mala qualitas vulgo distinguitur. Patet autem, nomen proprie bonae tribui qualitati, analogice vero etiam malae qualitati, non quo sit realitas in se mala, sed quia est privatio vel defectus perfectionis debitae, vel gradus eius debiti.

(II. *Proprietates*: 1. Qualitates admittunt *contrarium*, i. e. possunt esse ita sibi oppositae sub eodem genere, ut se mutuo vel effective vel saltem formaliter excludant ab eodem subiecto, ut album et nigrum, virtus et vitium. Ratione qualitatum etiam res illis affectae vocantur contrariae, e. g. homo iustus et iniustus.

2. Suscipiunt *plus et minus*, i. e. tum extensive ratione numeri actuum et obiectorum, tum intensive (remissive) ratione perfectionis ipsius qualitatis, e. g. sapientia, scientia plura vel pauciora obiecta complectens, sive magis minusve perfecte attingens; sanitas plus vel minus firma; sive totius corporis vel eius partium. *Solae*, sed

¹⁾ Praedic. c. 1. ²⁾ S. Th. I, II q. 49, a. 2. Cfr. Arist. Categ. 8.

non omnes qualitates (potentiae naturales immateriales, figurae), admittunt intensionem vel remissionem; et disputant de modo: Durandus putat fieri per mutationem unius formae accidentaliter in aliam; alii per maiorem purgationem a contraria forma; Albertus M., Bonaventura, Scotus, Toletus, Suarez etc. per augmentum intrinsecum gradibus accidentalibus, Thomistae per maiorem eiusdem formae participationem.¹⁾

3. Sunt fundamentum *similitudinis et dissimilitudinis* et quidem accidentaliter, non essentialiter; oritur tamen ex illa accidentaliter similitudine etiam rerum similium ipsarum similitudo. Similitudo autem per se non est qualitas, sed relatio fundata in qualitate.

III. *Divisio*: Qualitates possunt rem vel in *essendo* vel in *operando* perficere idque vel tanquam accidens *proprium*, i. e. necessario cum natura rei coniunctum, e. g. intellectus, vis cohaesiva corporum; vel tanquam accidens *logicum*, quod potest adesse et abesse, e. g. actus intelligendi, motus. Unde quatuor potissimum genera qualitatis distinguuntur: dispositio et habitus; potentia; passio; forma et figura.)

A. *Dispositio et habitus.*

1. *Notio*: *Habitus est qualitas permanens in subiecto, secundum quam res bene vel male se habet sive secundum se ipsam sive in ordine ad operandum*. Distinguitur a *dispositione*, sensu stricto sumpta, per hoc, quod est difficulter amovibilis, dispositio vero est facile amovibilis, e. g. firma sanitas et dispositio ad morbos quosdam.

2. *Divisio*: *Habitus potest esse a) ratione subiecti, in quo est: entitativus (Anlagen), qui afficit ipsam naturam rei, e. g. sanitas; et operativus (Fertigkeit), qui determinat potentiam aliquam, (unde est aut anorganicus: α) intellectualis, ut scientia; β) moralis, ut virtus; aut organicus: α) in parte concupiscibili (temperantia); β) in parte irascibili (fortitudo vel constantia); b) ratione principii, a quo est: naturalis, qui ex natura specifica vel individuali procedit et quandam inclinationem ac proinde facilitatem quandam agendi confert, e. g. instinctus brutorum, malae nostrae naturae inclinationes plus vel minus fortes in singulis hominibus; acquisitus, qui ex consuetudine agendi ortus est, e. g. scientia, artes; infusus, qui a Deo nobis confertur vel quoad substantiam (e. g. gratia sanctificans) vel quoad modum supernaturalis (e. g. donum linguarum). Uterque potest esse entitativus (gratia sanctificans) et operativus (virtutes tum theologicae, tum morales infusae). Est tamen haec differentia inter habitus naturales et supernaturales, quod illi conferunt facilitatem*

¹⁾ S. Thom. S. Th. I, II qu. 22 et 52. Suarez, Metaph. Disp. 46.

operandi, hi autem *per se* non facilitatem, sed ipsam *possibilitatem* supernaturaliter agendi; c) ratione *perfectionis*: habitus *boni et mali*, prout sunt secundum rectum naturae ordinem tum in essendo, tum in operando, e. g. sanitas, morbus; d) ratione *finis*: *speculativus* quoad scientiam acquirendam, *practicus* ad opera vitae exercenda.

Thesis XXX: Existunt habitus.

St. qu. Atomistae nullos, *Herbartiani* saltem habitus operativos non admittunt, sed omnia ad substantias simplices eorumque actus percipiendi sive resistendi inter se associatos reducunt; Wundt, Höfding cum aliis habitum reponunt in quadam nervorum dispositione (*Nervenbahn*) iteratis actibus effecta; Herbart, Fechner, Lipps, Drbal, Cornelius, J. Müller, Paulsen in actibus iteratis, qui actu remanent vel inconscii vel non percepti.¹⁾

Prob. 1. Ex possibilitate: Possunt esse habitus tum entitativi, tum operativi, si res quoad essentiam et operationem sunt imperfectae et perfici possunt. *Atqui* multae res, quamvis in specie sua complete constitutae, tamen imperfectae sunt: a) quoad *modum*, quo *naturam* illam specificam habent; sic res organicae: homines, bruta, plantae possunt esse magis vel minus bene dispositae quoad partem materialem vel formam substantialem vel unionem utriusque, unde bona vel mala est indoles, sanitas. Deinde corpora anorganica possunt magis vel minus esse disposita ad novam combinationem chemicam ineundam per influxum caloris, electricitatis etc., vel ad statum aggregationis mutandum, e. g. glacies ex aqua, vel pressione atmosphaerica vel calore mutatis, in vaporem transiens; et hi sunt habitus vel dispositiones entitativae; sanitas vel morbus vel mors sunt dispositiones et habitus entitativi in rebus organicis; b) *quoad operationem*: potentiae enim possunt esse magis vel minus dispositae ad naturaliter agendum, si sunt finitae, sicut omnis potentia creata, et nisi sunt a natura iam ad unum determinatae, sicut res materiales et sensitivae.²⁾ Unde patet, potentias hominis voluntati liberae subiectas posse recipere habitus: *intellectum* scientias et artes vel errores et ignorantiam; *voluntatem* virtutes vel vitia; *sensibilitatem* in homine et in brutis per influxum hominum quandam dexteritatem in exercitiis et operibus, quae membris perficiuntur. *Atqui* omnes illae dispositiones sive habitus possunt abesse et adesse salva rei essentia novamque ipsi conferunt realitatem; nam non solum actionibus positivis saepe difficilibus saepeque iteratis acquiruntur, e. g.

¹⁾ Müller, *System d. Philos.*, p. 199 sq., reicit et potentias et habitus tanquam vanas abstractiones („leerer Begriff oder besser ein Wort“) sibi persuadens, se posse et memoriam et facilitatem recordandi et „characterem“ hominis explicare nova sua theoria actuum consciorum quidem, sed non perceptorum. ²⁾ Cfr. S. Thom. I, II q. 49, a. 4.

scientiae, virtutes, artes, sed potentiis etiam vim conferunt ipsis a natura non insitam. *Ergo* possunt esse habitus et dispositiones tanquam accidentia realia.

2. *Ex necessitate*: Immo habitus necessarii sunt, si homines sine illis ad statum sibi connaturalem et a fortiori ad statum supernaturalem non pervenirent. *Atqui* ita est; nam homines nascuntur omnibus scientiis, virtutibus, artibus privati, neque possent vitam homine dignam degere, nisi intellectus et voluntas aliaeque facultates longa educatione excolerentur, neque ullo modo sine habitibus supernaturalibus finem supernaturalem assequi possunt. *Atqui* natura hominum, quando nascuntur, completa est; unde non deest nisi eius perfectio, quae certe realiter ipsi superadditur. *Ergo* habitus existere debent.

3. *Ex experientia*: a) quoad habitus *naturales*. Constat homines omnes *ex nativitate* habere naturam humanam completam, sed non eodem modo *perfectam*, sive quoad corpus sive quoad animam; nam alii sani, alii insani; alii fortes, alii debiles sunt; alii mente expediti, alii mente capti. Neque potentias aequae perfectas habent; alii enim bonam, alii minus bonam indolem intellectus vel voluntatis habent, plus vel minus inclinationum in bonum vel malum experiuntur etc.

b) Quoad habitus *acquisitos*: Constat magnam esse differentiam inter homines quoad habitus *acquisitos* tum entitativos, tum operativos. Alii enim corporis sanitatem sibi comparaverunt prudentia, temperantia, exercitio etc.; alii morbos, immo praematuram mortem intemperantia, imprudentia etc.; alii scientias, artes, virtutes acquirunt; alii ignorantia, vitiisque laborant. *Atqui* constat, hanc differentiam perfectionis esse maxime realem multisque saepe laboribus fundatam, neque a natura insitam. *Ergo* existunt habitus reales, distincti a natura humana.

4. *Ex revelatione quoad habitus infusos*: Fides docet, Deum nobis contulisse gratiam sanctificantem tanquam habitum entitativum animae, virtutesque theologicas et morales in potentiis nostris intellectus et voluntatis tanquam habitus operativos. *Atqui* hi habitus certe distinguuntur ab anima nostra eiusque potentiis; sunt enim in se supernaturales, et certe sunt aliquid reale, quum novum statum homini conferant et sint causa actuum supernaturalium. *Ergo* existunt habitus reales tum entitativi, tum operativi.

Neque habitus possunt explicari per actus *actu* remanentes, quorum non habemus conscientiam sive perceptionem; nam 1^o actus illi inconscii sive non percepti nil conferre possent ad operationem, neque eos adesse probatur; 2^o conscientia testatur, dolorem, peccatum etc. non *actu* remanere, sed tanquam *obiectum memoriae ut cognitum*; neque quovis momento adesse